



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De ægrotanibus si baptismum desiderant, & post obmutescunt. xxxvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De paruulis infirmis baptizandis. Cap. XXXII.*

**D**E paruulis verò, qui nuper materno vtero æditi sunt, placuit cõstitui, vt si infirmi, vt assolet, fuerint, & lac maternum non appetunt. etiam eadem die qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.

*Ex cõcil. Haberge rüda. ca. 5.*

*De illis qui in ægritudine baptizentur. Cap. XXXIII.*

**S**I quis ergo in ægritudine fuerit baptizatus, presbyter ordinari nõ debet, Nõ enim fides illius est volütaria, sed ex necessitate descendit, nisi fortè postea ipsius studium, & fides huius probabilis videtur, aut hominum raritas cogit.

*Ex cõcil. Neocasa, cap. 12.*

*De illis qui paruulos recentes negant esse baptizandos. Cap. XXXIIII.*

**I**TEM placuit, vt quicumque paruulos recentes ab vterinis matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos non baptizari sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quòd lauacro regenerationis expietur, vnde sit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum nõ vera, sed falsa intelligatur, anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est quòd ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit, in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc cõmittere potuerunt, ideo in peccatorũ remissionẽ veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quòd generatione traxerũt.

*Ex cõcil. Africa no, ca. 66*

*De infirmis baptizatis. Cap. XXXV.*

**Q**UOD oporteat eos qui in ægritudine percipiunt baptismum, postquam cõualuerint fidem perdiscere, & scire cuius muneris participes facti sint.

*Ex cõcil. Laodien. cap. 47.*

*De ægrotantibus, si baptismum desiderant, & post obmutescunt. Cap. XXXVI.*

**V**T ægrotantes, si pro se respondere non possunt, quã volütatis eorum testimonium sui, qui periculo proprio adfuere dixerint, baptizentur, & vt scœnicis atque hystrionibus, cæterisque huiusmodi personis reconciliatio non negetur.

*Ex cõcil. Africa no, ca. 12.*